MASTER NEGATIVE NO. 91-80275-2

AUTHOR:

ECKSTEIN, HERMANN

TITLE:

OBSERVATIONES GRAM-
MATICAE AD CICERONIS

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1874

Master Negative #

91-80275-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Eckstein, Hermann, 1849-
Observationes grammaticae ad Ciceronis orat. cap. XLV-XLVIII; dissertatio inauguralis quam ... scripsit Hermannus Eckstein... Lipsiae, typis B.G. Teubneri, 1874.
40 p. 28½ cm.

Thesis, Leipzig.

Vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

OBSERVATIONES GRAMMATICAE

AD

CICERONIS ORAT. CAP. XLV–XLVIII.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS ECKSTEIN

HALENSIS.

LIPSIAE,

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXIV.

HENRICO KEILIO

PIETATIS CAUSA.

Quamquam certo dici non quit, quo tempore primum Romani de natura et antiquissima forma Latinae linguae quaerere coeperint vel quod omnino initium grammaticorum studiorum apud eos fuerit, tamen illud constat, de antiquitatibus Italicis et Romanis, id quod cum studio prisci sermonis necessario coniunctum erat, primum Latine scripsisse M. Porcium Catonem. Nam ea, quae de sacris antiquitatum partibus scripta Cincii nomine ferebantur, non tribuenda esse Cincio Alimento, qui annales Graece scripsit, satis nunc inter omnes constat. Sed quamvis eodem fere tempore alii etiam in hoc genere studiorum operam collocarent, tamen et rara illa et parum probata Romanis aliquamdiu fuerunt. Inde a fine demum sexti saeculi ab urbe condita, quo tempore Cratetem Mallotam et philosophos Atticos in urbem venisse scimus, doctrina Graecorum ad Romanos translata est ibique certam sedem ac domicilium collocavit. Quo factum est, ut mox Romani quoque exemplum et rationem Alexandrinorum grammaticorum imitarentur et cum de omni antiquitate tum de litteris antiquioris aetatis et de prisco sermone accuratiores quaestiones instituerent.

Princeps autem in omni hoc genere studiorum fuit L. Aelius Stilo, qui primus inter Romanos de antiquitate et litteris Romanorum librum scripsisse videtur.[1]) Qua re omnia illa studia, quae ad rem grammaticam potissimum et ad antiquitatis indagationem spectarent, a Cicerone studia Aeliana nominata sunt.[2])

Multo maiorem autem auctoritatem quam ille Aelius Stilo mox eius disciplina eruditus M. Terentius Varro Reatinus adeptus est, qui et amplissima doctrinae copia et maximo

---

[1]) Varro de l. l.. VII. 2, p. 117. [2]) Cic. de or. I, 43, 193.

librorum numero omnium Romanorum princeps fuit. Huic maxime similis fuit P. Nigidius Figulus, qui non minorem in cognitione linguae quam in pervestigatione rerum absconditarum operam collocavit. Sed praeter illos alii multi eodem tempore in eis studiis versabantur, neque docti solum homines, qui sicut Varro et Nigidius vel de antiquitatibus vel de sermone subtiliter quaesiverunt et doctos commentarios scripserunt, iis operam dederunt, sed iam multi etiam, qui subtiliore doctrina destituti erant vel publicis negotiis distinebantur, eis faverunt. In eo igitur numero fuit Cicero, quem, quamquam de arte grammatica proprie non scripsit, tamen in cognoscenda indole linguae Latinae multam operam collocavisse, ex magno numero observationum quarundam grammaticarum, quae per libros eius dispersae sunt, apparet. Et imprimis quidem de origine vocabulorum, quam nos etymologiam dicere consuevimus, saepius disputavit. Ea, quae huc pertinent, collegit Beneckius.[1])

Iudicium autem, quod Beneckius de Ciceronis studiis grammaticis fecit, quamvis nonnullis[2]) nimis severum vel iniustum visum sit, mihi omnino probatur. Haec enim p. 10 profert: „Qua quidem in re, ut aequitatem observemus, tenendum est, Tullium non usquequaque proprio Marte pugnasse, ubi ita videtur, sed plerumque Varronis signa esse secutum. Inveniemus autem, eum non semel in graves esse lapsum errores, verum nonnumquam vidisse, interdum certa odoratum esse. Nam eorum ipsorum etymorum, quae recte suspicatus videtur, scientiae laus plerumque Ciceroni est abiudicanda. Ὀρθὴν δόξαν, ut Platonice loquar, hic illic assecutus est, ἐπιστήμην attigit nusquam. Neque enim habet in sua doctrina stabile quidquam sive firmum, in quo quasi ancoram iaciat, sed plane turbine quodam circumagitur. Licet originem verborum aut patriam aut peregrinam esse agnosceret, tamen ne in patrio quidem sermone certas derivandarum et componendarum vocum regulas habuit perspectas."

Neque enim Cicero accurata doctrina excultus, sicut Varro, quaestiones grammaticas instituit, sed ea, quae ad

[1]) Beneckius de Cicerone etymologo, Regimonti 1835. [2]) Lersch, die Sprachphilosophie der Alten, Bonn 1838, vol. III, p. 154.

facultatem dicendi adiuvandam et ad expoliendam orationem pertinebant, sibi paraverat. Sed quoniam Ciceronis studiis lingua Latina ad summam perfectionem adducta est, operae pretium est illius de legibus sermonis Latini sententias accuratius exquirere.

Priusquam autem ad rem explicandam accedamus, de rationibus, quas maxime Ciceronis aetate Romani in arte grammatica secuti sunt, pauca dicemus. Duae autem controversiae Ciceronis aetate a grammaticis Graecis et Romanis agebantur, quarum una haec erat, utrum verba φύσει an θέσει facta essent, altera autem, utrum analogia an anomalia ad vocabula formanda valuisset. Et prius quidem illud, quod ad ipsam originem linguae spectat, utrum verba φύσει an θέσει facta essent, Cicero non diiudicavit[1]), quamquam statuisse videtur θέσιν plus valuisse quam φύσιν. Nam paucis locis eius quaestionis mentionem fecit, ut de or. III, 37, 149: „ergo utemur verbis aut eis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum paene una nata cum rebus ipsis; aut eis, quae transferuntur et quasi alieno in loco collocantur; aut eis, quae novamus et facimus ipsi." Tum conferri possunt ea verba, quae leguntur orat. partit. 5, 16: „prima vis est in simplicibus verbis, in coniunctis secunda. Et simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta; nativa ea, quae significata sunt sensu; reperta, quae ex his facta sunt et novata aut similitudine aut imitatione aut inflexione aut adiunctione verborum."

Alteram vero grammaticorum Graecorum et Romanorum controversiam, quae est de analogia et anomalia, Cicero accuratius tractavit. Crates enim Mallotes Romam transtulit grammaticam Graecam, inter eum autem et grammaticos Alexandrinos vehementissima disceptatio erat, utrum analogia an anomalia in usu sermonis plus valeret. Quamquam autem Crates, qui anomaliam defendit, Romae more Graecorum ἀκροάσεις grammaticas vel rhetoricas fecit[2]), tamen clarissimi Romanorum grammatici Aristarchi rationem probavisse viden-

[1]) Lersch, l. c. I, 140. [2]) Sueton. de ill. grammat. 2: „plurimas ἀκροάσεις subinde fecit (Crates) assidueque disseruit ac nostris exemplo fuit ad imitandum."

tur. Deinde C. Julius Caesar scripsit duos libros ad universam rationem loquendi spectantes [1]), quos inscripsit de analogia. [2]) Sed eius quaestiones maxime ad declinationem verborum pertinent, quia in declinatione potissimum analogiae ratio apparet. Consilium autem totius operis Cicero explicavit Brut. 74, 258 his verbis: „quo magis expurgandus est sermo et adhibenda tamquam obrussa (analogia), quae mutari non potest nec utendum pravissima consuetudinis (anomaliae) regula.“ [3])

M. autem Terentius Varro hanc controversiam de analogia et anomalia in libris de lingua Latina tractavit, quamquam grammaticos Graecos non imitatus est. Namque ei persuasum erat neque analogiam solam neque anomaliam ad vocabula formanda valere. Voluit enim consuetudinem et analogiam esse inter se coniunctas, quod ipsa analogia ex quadam consuetudine nata esset. [4]) Praeterea conferenda sunt verba, quae leguntur de l. l. VIII, 23. p. 407: „cum utrumque nonnumquam accidat, ut et in voluntaria declinatione [5]) animadvertatur natura et in naturali voluntas (quae cuius modi sint aperietur infra) [6]), quod utraque declinatione alia fiunt similia, alia dissimilia, de eo Graeci Latinique libros fecerunt multos, partim cum alii putarent in loquendo ea verba sequi oportere, quae a similibus similiter essent declinata, quas appellarant ἀναλογίας, alii cum id neglegendum putarent ac potius sequendam dissimilitudinem, quae in consuetudine est, quam vocant ἀνωμαλίαν, cum, ut ego arbitror, utrumque sit nobis sequendum, quod in declinatione voluntaria sit anomalia, in naturali magis analogia.“ De eadem re Varro libros de similitudine tres, qui in Hieronymi indice exstant et semel a Charisio ed. Keil p. 91 commemorantur, conscripsisse videtur. [7])

Diligentius deinde defenderunt analogiam P. Nigidius

[1]) Cic. Brut. 72, 253. [2]) Schlitte de G. Iulio Caesare grammatico. Halae 1865. [3]) Lersch l. c. I, 130. [4]) Varro de l. l. VIII, 126. [5]) Vocabulo „declinationis“ et declinationem proprie dictam et coniugationem Varro comprehendit. [6]) Varro de l. l. X, 51, p. 574: „voluntatem dico impositionem vocabulorum, naturam declinationem verborum, quo decurritur sine doctrina.“ [7]) Wilmanns de M. Terenti Varronis libris grammaticis. Berol. 1864 p. 135.

Figulus et Antonius Gnipho, quorum alter commentationes grammaticas [1]), alter libros de sermone Latino scripsit. [2]) Itaque cum studia grammatica Ciceronis aetate magnopere florerent et a multis tractarentur, tum vetus grammaticorum Graecorum disceptatio de analogia et anomalia Romae animos virorum eruditorum movisse videtur. Qua de causa Cicero facere non potuit, quin eam rem in libris rhetoricis interdum commemoraret. Imprimis autem Cicero in libro, qui inscriptus est Orator ad M. Brutum, et in tribus de oratore libris nonnulla de ea re protulit. Ut autem aliis in disciplinis, in philosophia et in arte rhetorica non certas partes secutus est, ita in arte grammatica hanc rationem tenuit, ut neque analogiam solam neque anomaliam solam defenderet. Legimus enim in disp. Tusc. IV, 4, 7 haec verba ad philosophiam spectantia: „nos institutum tenebimus, nulliusque unius disciplinae legibus adstricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile semper requiremus.“ Atque hanc legem Ciceroni in grammaticis quoque rebus tractandis propositam fuisse statuendum est.

Cicero autem in eis, quae de hac quaestione scripsit, numquam adhibuit vocabulum anomaliae atque semel tantum legimus analogiam ad Att. VI, 2: „Phliasios autem dici sciebam et ita fac, ut habeas, nos quidem sic habemus. sed primo me ἀναλογία deceperat Φλιοῦς, Ὀποῦς, Σιποῦς, quod Ὀπούντιοι, Σιπούντιοι; sed hoc continuo correximus.“ Vulgo autem Cicero pro his verbis usurpavit verba patrii sermonis et pro „analogia“ quidem invenimus vocabula haec: „natura, ratio proportionis, proportio, comparatio.“ Pro „anomalia“ autem ponuntur apud Ciceronem „usus“ et „consuetudo“.

Omnino, ut oratorem decet, Cicero maxime aurium iudicium in ea controversia disceptanda praedicat, res enim controversas in verbis formandis esse referendas ad aures atque eas verborum formas, quas illae probavissent, ab oratore iure adhiberi posse censuit, quamvis ea fortasse veriloquii legibus repugnarent. Voluptati autem aurium, inquit Cicero [3]), morigerari debet oratio.

[1]) M. Hertz de P. Nigidi Figuli studiis atque operibus. Berol. 1865. p. 7. [2]) Lersch l. c. I, 127. [3]) Orat. 48, 159.

Sed quoniam longum est, ea omnia, quae Cicero plurimis locis vel de singulis vocabulis vel de legibus sermonis Latini vel de universa grammatica ratione protulit, colligere et quid ex eis probandum, quid falso dictum esse videatur diiudicare, in eis, quae in Oratore a paragrapho 152 usque ad paragraphum 159 scripta sunt, operam nostram continebimus. Et cum de plurimis rebus, quas Cicero paucis verbis tetigit, nunc longe aliter iudicetur, non propositum est nobis, omnes recentiorum grammaticorum de eisdem rebus sententias afferre et examinare; sed illud sequemur, ut quae Ciceronis fuerit sententia explicemus. Hac in re explicanda exempla quae Cicero sine certo consilio protulit, eodem ordine quo Cicero tractabo. Primo autem loco veram Ciceronis manum mihi restituendam esse putavi, tum eius sententiam, utrum probanda sit an non, perpendere conabor. De nonnullis rebus, quibus plus tribui, accuratius hac in disputatione agam, aliae quaestiones paucis tantum verbis a me commemorabuntur.

Initium harum quaestionum facit Cicero ab eis vocabulis, quae propter suavitatem soni contracta esse putat. Nam ei persuasum erat plenas verborum formas fuisse principio, postea autem plena illa vocabula, quia auribus probata non essent, contracta esse. Quamquam autem de paucis exemplis, quibus Cicero ad eam rem adfirmandam utitur, eius sententia probari potest, plurima vero, quae attulit, omnino improbanda sunt, tamen haec quoque haud indigna sunt, quae accuratius exquirantur, propterea quod Ciceronis iudicium de fide et veritate nonnullorum verborum maximi momenti est. Sed iam ad singula accedamus.

Primam igitur causam, cur verba contraherentur in lingua Latina, Cicero putavit fuisse hanc, ut vitaretur hiatus.[1]) Nam antiquissimo iam tempore maximam operam consumpsisse et oratores et poetas constat, ut hiatum vitarent, quamquam in soluta quidem oratione neglegentiam quandam in hiatu ad-

[1]) Orat. 45, 152.

mittendo non omnino displicere ait Cicero. Habet enim ille tamquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam neglegentiam hominis de re magis quam de verbis laborantis.[1]) Gravissimam autem quaestionem de hiatu a veteribus poetis admisso vel vitato tractare ab hoc loco alienum est. Verum illud ipsum, quod Cicero exempla quaedam illius neglegentiae attulit, satis docet eum non legitimum iudicasse hiatum, sicut nonnullis visum est, sed neglegenter contra leges versuum admissum.

Iam M. Porcium Catonem Censorium in illis ipsis horridis orationibus atque omnes veteres poetas illum vocalium concursum accurate devitasse et raro metrique necessitate adductos eum admisisse dicit Cicero. Et a Naevio quidem hiatus admissus sit in hoc versu:

„Vos qués adcolitis Hístrum fluvium atque álgidam.“[2]) et in hoc:

„Quam númquam vobis Gráicis atque bárbari.“[3]) Ennius autem semel hiatu usus est, et in his quidem verbis: „Scipio invicte.“[4]) Denique Cicero versum commemorat, quem ipse iuvenis fecit, in quo metri causa hiatum non vitavit. Cicero enim adulescens Arati poema: Φαινόμενα καὶ διοcημεῖα in linguam Latinam transtulit et verba Arati:

„Ἠελίου τὰ πρῶτα cυνερχομένοιο Λέοντι
Τῆμος καὶ κελάδοντες Ἐτηcίαι εὐρέϊ πόντῳ ·
Ἀθρόοι ἐμπίπτουcιν,“

hoc modo Latine reddidit:

„Hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti.“

Cicero igitur exempla, in quibus hiatus iniuria admissus est, protulit. Ea vero exempla praebent diversa genera hiatus, nam in illo Ciceronis versu hiatus non vituperandus, est, quod in ultima syllaba dactyli ille ita adhiberi potest, ut longae vocales et diphthongi in fine vocabulorum sequenti vocali corripiantur. Praeterea ex orationum reliquiis scimus, Catonem non devitavisse hiatum tam accurate quam poetas in versibus.[4])

[1]) Orat. 23, 77. [2]) Trag. Lat. rel. ed. Ribbeck p. 14. [3]) Ribbeck l. c. p. 14. [4]) Enn. poes. rel. ed. Vahlen. p. 48. [5]) Henricus Jordan, M. Catonis praeter librum de re rustica quae exstant p. 34—74.

Neque solum hiatus vitandi causa, sed etiam sine vocalibus saepe propter brevitatem verba contrahebantur, ut ita diceretur: „multi' modis, vas' argenteis, palm' et crinibus, tecti' fractis“ pro „multis modis, vasis argenteis, palmis et crinibus, tectis fractis.“ [1]) Verbis: „palm' et crinibus“ fortasse expressa sunt verba Graeca, quae leguntur apud Euripidem Hecub. v. 836: „εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι,“ ut Latinum exemplum desumptum videatur ex Ennii Hecuba. Quibus vero ex poematis vel fabulis reliqua exempla desumpta sint, nescimus. De hac autem re, de littera s in fine vocabulorum omittenda accurate disputat Corssenus Lat.Ausspr. I. p. 285.

Sed etiam nomina hominum contrahebantur, eodem enim modo, quo pro „duellum et duis“ dicebatur „bellum et bis“, ille Duellius [2]), qui Poenos primus [3]) classe anno 494 ab u. c. devicit, Bellius nominatus est.

Atque hic Ciceronis verba ipsa mihi proferenda sunt, quae olim ita scribebantur: „Quin etiam verba saepe contrahuntur non usus causa, sed aurium. Quomodo enim noster „Axilla“ „Ala“ factus est, nisi fuga litterae vastioris? quam litteram etiam e „maxillis“ et „taxillis“ et „vexillo“ et „paxillo“ consuetudo elegans Latini sermonis evellit.“ „Vester Axilla“ pro „noster Axilla“ primus scripsit Lipsius de recta linguae Latinae pronuntiatione I, p. 451, quia Brutus in gentem Serviliam erat adoptione receptus et Axilla vel Ahala erat cognomen familiae e gente Serviliorum. Tum autem pro sequentibus verbis: „quam litteram etiam e maxillis et taxillis et vexillo et paxillo“ scripsit O. Jahn, quem Piderit secutus est: „quam litteram etiam e maxillis et vexillo et pauxillo.“ „Pauxillo“, ex quo „paulum“ ortum esse contractione voluit Cicero, auctoritate optimorum codicum defenditur, „paxillo“ ex interpolatis codicibus olim receptum est. „Et taxillis“ autem cur ab Jahnio omittatur, causam non video. Nam cum in codicibus insit „e taxillis“ vel „et axillis“, recte scriptum est „et taxillis“. ut ex „taxillo“ factum esse dicatur

---

[1]) Orat. 45, 153. [2]) Fr. Ritschl de titulo columnae rostratae, ind. lect. Bonn. 1861. [3]) Teuffel in Museo Rhen. XVI. p. 638.

„talus“. Eadem quattuor vocabula composuit Priscianus lib. III. p. 109, quamquam is diversam a Cicerone doctrinam de eis secutus est. Et Priscianus quidem de industria eadem exempla, quae Cicero attulit, commemorasse videtur, sed ea verba „maxilla, taxillus, vexillum, pauxillum“ formas deminutivas esse explicans vult indicare, Ciceronem hac in re interpretanda erravisse, se autem verum perspexisse.

Cicero igitur putavit formas illorum verborum principio fuisse „maxilla taxillus vexillum pauxillum“, quia autem auribus littera x insuavior fuisset, consuetudinem elegantem sermonis Latini evellisse eam litteram et postea verba contraxisse, ut pro vocabulis „maxilla taxillus vexillum pauxillum“ verba „mala talus velum paulum“ usurparentur. Litteram autem x dicit Cicero vastiorem: et vastus quidem idem fere significare videtur quod rusticus; in libro enim tertio de oratore 12, 45 legimus haec: „ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter.“ Cicero igitur illa verba „maxilla taxillus vexillum pauxillum“ formas deminutivas esse nescire videtur. Quo iure autem illis in vocabulis syllaba detracta sit, perspicitur ex eis, quae de his vocabulis disputavit Corssenus l. c. I, p. 641 et II, 529.

Deinde Cicero commemorat nonnulla verba, quae copulando iuncta esse putat [1]), nam consuetudinem linguae Latinae postulare, ut dicatur „sodes“ pro „si audes“, „sis“ pro „si vis“, „capsis“ pro „cape si vis“, „ain“ pro „aisne“, „nequire“ pro „non quire“, „nescire“ pro „non scire“, „malle“ pro „magis velle“, „nolle“ pro „non velle“, „dein et exin“ pro „deinde et exinde.“ Non probanda est sententia Petri et Welleri, qui formam „sodes“ ita explicaverunt [2]): „Forcellini führt eine Stelle aus einem Spätern an, wo o sodes statt o amice steht, und erwähnt dabei, dass man sodes schon sonst als Vocativ eines Subst., sodes gleich sodalis, aufgefasst habe. Eine nicht zu verwerfende Deutung!“ Neque probare possum ea, quae Meyerus de hac forma protulit; eius

---

[1]) Orat. 45, 154; 47, 157. [2]) Peter et Weller, Ciceronis Orator. p. 231.

verba sunt haec: „sodes ex si audes, quod pro si audies. Nam pro audire antiquitus in usu videtur fuisse audere tertia coniugatione. Similiter parere et parire dixisse videntur veteres, ubi tertiae coniugationis forma obtinuit.“ Dubitari non potest, quin „sodes“ ortum sit ex „si audes“ et „audere“ fere idem significet ut „velle“. Apud Plautum Trin. 244 legimus „si audes“, quamquam „sodes“ usitatius erat. De his vocabulis quid improbandum sit in Ciceronis sententia facile apparet. In explicanda autem forma „capsis“ eum erravisse iam Quintilianus intellexit, de verbis enim compositis loquens haec protulit I, 5, 66: „Nam ex tribus nostrae utique linguae non concesserim, quamvis ‚capsis‘ Cicero dicat compositum esse ex „cape si vis“.“ Nunc vero inter omnes constat „capsis“ esse formam coniunctivi perfecti activi, ut „faxis, auxis“. Non minus errat Cicero in formis „dein“ et „exin“ explicandis, illas enim putat factas esse ex „deinde“ et „exinde“, fortasse ut hiatus vitaretur, si post „deinde“ et „exinde“ vocalis sequeretur. Meliora de eis formis primus docuit Fridericus Ritschelius[1]) „Dein“ enim et „exin“ facta sunt ex „de-im“ et „ex-im“, atque idem significant, quod „de eo“ et „ex eo“; forma „im“ autem derivata est ex pronomine „is“ et significat motionem ex aliquo loco. Forma „deim“ quamquam neque in inscriptionibus neque in codicibus vetustissimis invenitur, tamen quin usitata fuerit, dubitari non potest. Nam formam „exim“ pro „exin“ saepius legimus. Lachmannus Lucret. p. 148 exempla, quae nobis usum formae „exim“ demonstrant, collegit.

Pro „nequire“ quod Ciceronis aetate usitatum erat, Ennium dixisse „non quire“ commemorat Victorius varr. lect. XVI, 8, atque in reliquiis tragoediarum legimus nunc versum:

„Qui ípse sibi sapiéns prodesse nón quit, nequiquám sapit.“[2]) Cicero his in formis „nequire“ et „nescire“ explicandis errat, quod putat ea vocabula formata esse ex forma negationis „non“ et ex verbis „quire“ et „scire“. Illa enim vocabula esse coniuncta antiquissimae formae negationis „ne“,

---

[1]) Fr. Ritschl. Mus. Rhen. VII, p. 472—477 opusc. phil. II, p. 452—459. [2]) Vahlen l. c. p. 130.

ex qua „non“ hoc modo factum sit: „ne-oinum, ne-oenum, non“, hodie inter omnes constat.[1])

Tum Cicero praepositionis „cum“ mentionem fecit. Quem quidem locum accuratius a nobis inspici necesse est. Ciceronis verba sunt haec[2]): „Quid? illud non olet unde sit, quod dicitur „cum illis“ „cum“ autem „nobis“ non dicitur, sed „nobiscum“? quia si ita diceretur, obscenius concurrerent litterae, ut etiam modo, nisi „autem“ interposuissem, concurrissent. Ex eo est „mecum“ et „tecum“ non „cum me“ et „cum te,“ ut esset simile illis „vobiscum“ ac „nobiscum.““ Codicum hoc loco nulla discrepantia est, nisi quod pro „vobiscum ac nobiscum“ quod ex optimo codice Vitebergensi vulgo receptum est, alii „vobiscum et nobiscum“, alii „vobiscum atque nobiscum“ praebent.

Schuetzius tamen miratur neminem in hoc loco haesisse. „Quum enim, inquit, toto hoc capite agatur de vitando vocalium concursu, quomodo Cicero repente devenerit ad exemplum, in quo concursus litterarum obscenitatis causa vitatur. Aptiorem locum hoc invenisset in Ciceronis epistola illa festiva ad Paetum IX, 22. Eam videtur in eodem argumento respexisse Quintilianus VIII, 3, 45. Aut igitur totum exemplum aliunde huc translatum est; aut post verba „exinde dicimus“ quaedam verba interciderunt, quae transitum facerent ad hanc degressionem.“ His Schuetzii verbis adsentiri non possum. Cicero enim in tota hac disputatione de quaestionibus grammaticis non ductus est certo consilio neque certum aliquem ordinem in eis rebus tractandis secutus est. Neque de vitando tantum vocalium concursu agitur, sed etiam de contractione sine vocalibus facta et de fuga litterae vastioris x omnique consuetudine elegantiore sermonis Latini. Itaque neque aliunde hunc totum locum de praepositione „cum“ huc translatum esse, neque post verba „exinde dicimus“ quaedam verba intercidisse puto.

Cicero igitur affirmat Romanos „nobiscum“ obscenitatis vitandae causa dixisse. Quia Romani m ante sequentem consonantem n in „nobis“ non m sed n pronuntiabant,

---

[1]) Corssen l. c. I, 786. [2]) Orat. 45, 154.

facile verbi obsceni „cunnus“ reminisci poterant. Romani autem Ciceronis aetate vitabant non solum usum verborum obscenorum, sed etiam omnes formas et coniunctiones verborum, quibus auditis verbi obsceni commonefieri poterant.[1]) Cicero ipse se operam dedisse, ut talia κακέμφατα evitaret, scribit in epistola ad Paetum IX, 22: „ego servo et servabo, sic enim assuevi, Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quae apertissimis agunt Stoici.“ Ea igitur de causa Romani non coniunxerunt praepositionem „cum“ et verba, quae a litteris „nu, ni, no“ incipiebant. Numquam enim dixerunt „cum notis“ sed „cum hominibus notis.“ Tum etiam de ea re conferenda sunt verba Quintiliani VIII, 3, 45: „vitium est, si iunctura deformiter sonat, ut si „cum hominibus notis loqui“ nos dicimus, nisi hoc ipsum „hominibus“ medium sit, in praefanda videmur incidere, quia ultima prioris syllabae littera, quae exprimi nisi labris coeuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit aut continuata cum insequente in naturam eius corrumpitur.“ Cicero etiam alio loco eiusdem rei iterum mentionem fecit, „quid, inquit in epistola ad Paetum, quod vulgo dicitur „cum nos te voluimus convenire“ num obscenum est?“ Ciceronis autem sententiam „cum“ obscenitatis vitandae causa post „nobis“ positum esse atque proportionis causa etiam „vobiscum mecum tecum“ dictum esse Priscianus probavit lib. XII. p. 594: „Quomodo igitur, si dicam „propter te“ et „te propter“, idem significo et „cum quibus“ et „quibuscum“, sic „cum me“ et „mecum“. Nam antiquissimi utrumque dicebant, sed in plurali primae personae cacemphati causa solebant per anastrophen dicere „nobiscum“ pro „cum nobis“. Itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablativos similiter praepostere proferre coeperunt teste Plinio, qui hoc in II sermonis dubii ostendit et Cicerone, qui de oratore his utitur verbis: noluimus „cum me“ et „cum te“ dicere, ne eadem computatione adiungendum esset „cum nobis“, sed potius „mecum“ et „tecum“ et „secum“ diximus, „cum“ praepositione, quae facit obscenum, assidue postposita.““

[1]) Ritter, übertriebene Scheu der Römer vor gewissen Ausdrücken und Wortverbindungen. Mus. Rhen. a. 1835. p. 576.

Ea quae a Prisciano tamquam Ciceronis verba afferuntur, errori grammatici tribuenda esse videntur. Nam ea in libris de oratore non leguntur. Nec magis probabile est Plinii verba omissis ipsius Ciceronis verbis ex orato: a grammatico posita esse. Itaque, nisi re vera illa in libris de oratore olim scripta fuisse putabimus, Priscianum non recte intellectis Plinii verbis ea tamquam Ciceroniana posuisse statuendum est.

Quamvis autem et veteres grammatici Latini de ea re cum Cicerone consentiant et postea etiam communi omnium consensu diu illorum sententia probata fuerit, tamen eam falsam esse nunc nemo ignorat. Nam praepositio „cum“ non obscenitatis vitandae causa postposita est, sed ut aliae plures praepositiones: „ad, per, in, tenus, propter, circa“ interdum verbo antecedenti, ad quod spectant, adiunctae sunt atque postquam accentum amiserunt quasi verba enclitica factae sunt.[1])

Tum Cicero loquitur[2]) de formis genetivi pluralis in „um“ exeuntibus, quas ex „orum“ contractas esse dicit atque sermonis consuetudinem defendit contra eos, qui propter proportionis rationem formas, quae per saecula in cotidiano sermone usitatae erant, damnabant. Et de origine quidem earum formarum Ciceronem erravisse hodie nemo nescit Neque enim uno eodemque suffixo duas eiusdem casus formas factas esse scimus. Eius suffixi antiquissima forma erat „am“, quae forma deinde, antequam Graecorum et Italicorum lingua separaretur, in „om“ mutata est. Apud Latinos servatum est „om“ usque ad saec. VI ab u. c. post litteras „u“ et „v“, iam autem saec. VI etiam pro „om“ invenitur „um“.

Ab illa formatione genetivi casus diversa est altera, cuius terminatio est „rum“, quae antea „som“ erat.[3]) Has rationes igitur cum veteres grammatici ignorarent, fuerunt, qui unam formam in „orum“ defendi posse putarent eamque restituerunt talibus in verbis vulgaribus, ut „deum atque hominum fidem“ aut „duum virum iudicium“ aut „trium

[1]) Corssen l. c. II, 851 sqq. [2]) Orat. 46, 155, 156. 47, 157.
[3]) Franz Bücheler, Grundriss der lat. Declination. p. 40—46.

virum stlitibus iudicandis“ aut „sestertium, nummum“. Horum sententiam Cicero ita impugnat, ut praeter analogiam, cuius illi studiosi erant, etiam consuetudinem dicendi valere dicat. „Nam plane numquam, inquit, dico „duorum virorum iudicium“ aut „trium virorum capitalium“ aut „decem virorum stlitibus iudicandis“. Atqui dixit Accius:

„Videó sepulcra dúo duorum córporum.“ [1])

idemque:

„Múlier una duúm virorum.“ [2])

Eodem modo putat Cicero melius esse pro „liberorum“ dicere „liberum“, praesertim cum dicatur „cupidus liberum“ vel „in liberum loco“, quamvis Ennius eis formis utatur, quae contra regulae severitatem non repugnent, apud eum enim inveniri:

„Néve tu umquam in grémium extollas líberorum ex té genus,[3])“

et idem:

„Namque Aésculapi líberorum saúcii opplent pórticus.“ [4])

Sed quamquam Ennius forma „liberorum“ utitur, tamen aliorum verborum genetivum pluralis in „um“ pro „orum“ format minus usitata, ut Cicero putat, contractione adhibita. Ille enim poeta in fabula, quae Alexander inscripta est, Cassandram sic loquentem inducit:

„Vírgines aequális vereor, pátris mei meum factúm pudet,[5])“

et tum:

„Iámque mari magnó classis cita
Téxitur: exitium éxamen rapit.“ [6])

Cicero igitur formas „factum“ et „exitium“ pro „factorum“ et „exitiorum“ probare non videtur, quia usus et consuetudo linguae eas formas repudiabat. „Meum“ autem pro „meorum“ Cicerone auctore interdum dici potest, Pacuvius igitur recte haec in fabula, quae Chryses inscripta est:

„Civés, antiqui amíci maiorúm meum.“ [7])

Minus autem probandae sunt formae „consilium“ pro „consiliorum“ atque „augurium“ et „extum“ pro „auguriorum“ et „extorum“ et „prodigium horriferum“ pro „prodigiorum horriferorum“ et „portentum“ pro „portentorum“. Illas enim

[1]) Ribbeck trag. Lat. rel. p. 221. [2]) Ribbeck l. c. p. 221. [3]) Vahlen l. c. p. 135. [4]) Vahlen l. c. p. 93. [5]) Vahlen l. c. p. 100. [6]) Vahlen l. c. p. 100. [7]) Ribbeck l. c. p. 87.

genetivi formas praebet Pacuvius eadem in fabula, quam supra commemoravi, et in his quidem versibus:

„Consílium socii, augúrium atque extum intérpretes
Post quám prodigium horríferum, portentúm pavor.“ [1])

Neque Cicero probat „armum“ pro „armorum“, quod invenitur apud Pacuvium in ea fabula, quam inscripsit Teucri [2]) nomine, verba autem Pacuvii sunt haec:

„. . . . . nilne ad te dé iudicio armum áccidit?“ [3])

Summo autem iure dici potest, ut Cicero putat, „centuria fabrum et procum“ pro „centuria fabrorum et procorum“ [4]). In tabulis enim censoriis formae „fabrum“ et „procum“ usitatae sunt atque ea de causa consuetudo sermonis elegantis licentiam earum adhibendarum dedit. In illis autem iuris iurandi verbis Cicero et „pro deum“ et „pro deorum“ se dicere posse affirmat, nam utramque formam in lingua ius et potestatem habere.

Iam vero ea primo loco ponam, quae certis loquendi formulis et prisco sermonis usu continentur atque etiam inscriptionum testimoniis comprobantur.

Deum in verbis „deum atque hominum fidem.“ In monumentis linguae Latinae semel legimus „deum“. Momms. C. I. L. I, 1410:

DEVM·
MAANIVM·

Liberum in verbis „cupidus liberum“ et „liberum loco“. Momms. C. I. L. I, 1008, 5 legitur gen.

LEIBERVM·

Duum virum in verbis „duum virum iudicium“. Momms. C. I. L. I, 1235:

N. CLVVIVS· M· F· DVVM· VIR·

Praeterea in lege Puteolana parieti faciendo bis legitur „duum virum“ (Momms. C. I. L. I, 577, 1, 8; 3, 6.), et in lege agraria semel: „II virum“ (Momms. C. I. L. I, 200, 28) et in lege repetundarum „trium virum“ (Momms. C. I. L. I, 198,

[1]) Ribbeck l. c. p. 87. [2]) Piderit Ciceronis Orator. p. 188 sqq. [3]) Ribbeck l. c. p. 81. [4]) Festus p. 249: „procum patricium“ in descriptione classium, quam fecit Servius Tullius significat procerum;

13). „Duom vir . .“ ter legitur in inscriptionibus antiquissimis (Momms. C. I. L. I, 1107, 1149, 1341.)

Fabrum et procum in verbis „centuria fabrum et procum.“ Momms. C. I. L. I, 1124, 5:

PRAEF· FABRVM·

Sestertium nummum, in lege Tudertina (Momms. C. I. L. I, 1409, 5.) semel legitur „sestertium“.

Meum.

Illae formae genetivi a Cicerone probatae sunt. Utraque autem forma genetivi pluralis et in „um“ et in „orum“ exiens dici potest Cicerone auctore in verbis iuris iurandi: „*pro deum*“ et „*pro deorum*“.

Neque tamen laudari possunt eae formae, quibus poetae antiqui usi sunt: „*factum, exitium, consilium, augurium, extum, prodigium horriferum, portentum, armum.*

De contractione in formis quibusdam coniugationis verborum adhibita Cicero haec pauca et maxime vulgaria attulit[1]) exempla: „iudicasse, nosse, noras“ pro „iudicavisse, novisse, noveras“. Nam eas quoque formas, si Ciceroni credimus, severi analogiae assectatores reiciebant atque tantum plenas formas adhiberi posse dicebant. Horum igitur sententiam ut refutaret Cicero, pauca exempla, de quibus nulla omnino dubitatio esse posset, attulit. Eadem de causa Terentium commemorat, qui utraque forma usus est; apud eum enim legimus: „eho tú, cognatum tuum non noras[2])?“ et „Stílponem[3]) inquam nóveras.“[4]) Quam late autem iam antiquissimo tempore usus formarum contractarum patuerit, exempla diversi generis in inscriptionibus inventa docent, quibus Ciceronis sententia comprobatur. Nonnulla exempla[5]) afferam:

„abalienarunt (Momms. l. c. 204, 2, 27.)
accusasse (M. l. c. 206; 120.)
coirarunt (M. l. c. 1478.)
coerarunt (M. l. c. 1187. 1218. 1251. 1252. 1278.)

ei enim sunt principes. Nunc proci dicuntur qui poscant aliquam in matrimonium, Graece μνηςτῆρες. [1]) Orat. 47, 157. [2]) Terent. Phorm. II, 3, 37. Apud Terent. legimus „sobrinum“ pro „cognatum“. [3]) O. Jahn pro „Stilphonem“ scripsit „Stilponem“. [4]) Terent. Phorm. II, 3, 43. [5]) Momms. C. I. L. I, ind. gramm. p. 601.

curarunt (M. l. c. 1234. 1250. 1279.)
dedicarunt (M. l. c. 603, 1. 1150.)
inprobarint (M. l. c. 577, 3, 12.)
iurarint (M. l. c. 197, 21. 198, 24.)
locarunt (M. l. c. 1247. 1251.)
negarint (M. l. c. 198, 49.)
nominarunt (M. l. c. 1007.)
peristi (M. l. c. 685.)
peristis (M. l. c. 646. 647.)
probarunt (M. l. c. 1150. 1178. 1187. 1189. 1251. 1279. 1407.)
pronontiarit (M. l. c. 198, 54.)
speraram (M. l. c. 1019.)
superases (M. l. c. 33.)
terminarunt (M. l. c. 609. 610. 611. 613.)“

Cum hac quaestione de contractione in formis perfecti temporis usurpata coniunxit Cicero duas alias de tertia persona pluralis eiusdem temporis et de coniunctivo „siem“. Et ex duabus quidem formis tertiae personae in „erunt“ et „ere“ priorem dicit esse veriorem, alteram autem in „ere“ exeuntem, quam Ennii exemplo probavit, consuetudini indulgendam esse putat. Ennii autem verba leguntur in Annalibus:

„. . . . . scripsere alii rem
Vorsibus, quos olim Faunei vatesque canebant.“[1])

Sed etiam in inscriptionibus, quae Ciceronis temporibus factae sunt, saepius illa forma tertiae personae pluralis perfecti in „ere“ exiens reperitur. Exempla huius rei collegit Mommsenus C. I. L. I, p. 601:

„censuere (M. l. c. 185. 186. 196, 3, 9, 18, 26.)
consuluere (M. l. c. 185.)
contulere (M. l. c. 1343.)
coiravere (M. l. c. 568. 572.)
coeravere (M. l. c. 569. 1131. 1141. 1161. 1162.)
curavere (M. l. c. 1117. 1192. 1406.)
dedere (M. l. c. 188. 1425.)
fecere (M. l. c. 532. 567. 1166. 1553 c.)
probavere (M. l. c. 1149. 1161. 1162. 1163. 1192.)

[1]) Vahlen l. c. p. 34.

terminavere (M. l. c. 1111.)
vixsere (M. l. c. 1012.)

Deinde Cicero „siet“ pleriorem formam, pro qua brevior forma „sit“ tum iam sola fere in usu erat, exemplo poetae tragici cuiusdam probavit. „Siet“ plenum est, inquit Cicero, „sit“ imminutum: licet utare utroque; ergo ibidem:

„quae quám sint cara, póst carendo intéllegunt,
quamque áttinendi mágni dominátus sient.“ [1])

Nomen autem poetae, cuius versus Cicero adscripsit, post „ergo“ excidit. Ciceronem autem hanc formam „sient“, quae ea aetate ab usu sermonis cotidiani iam diu remota esset, non repudiavisse, apparet ex eius studio et amore veterum poetarum.

De usu illarum duarum formarum quid certis inscriptionum testimoniis constaret, paucis descripsit Corssen. II, 351: „In Originalurkunden sind die Formen siem, sies, siet, sient gebräuchlich bis in das Zeitalter der Gracchen und des Cimbernkrieges, nämlich „siet“ (tab. Bant. C. 197, 21. 133—118 v. Chr. l. rep. C. 198 häufig, 123—122 v. Chr. t. Gen. C. 199, 6. 117 v. Chr. l. agr. C. 200 wiederholt. 111 v. Chr. C. 208. 134—100 v. Chr.), „sient“ (Ep. d. Bacc. C. 196. 186 v. Chr. l. rep. C. 198 dreimal. 123—122 v. Chr. l. agr. C. 200 dreimal. 111 v. Chr.). Seit diesem Zeitalter werden in den Urkunden für „siet sient“ die zusammengezogenen Formen „sit“ (C. 34. 139—100 v. Chr. C. 207. 134—100 v. Chr.) „sint“ (l. Termes. C. 204. 71 v. Chr.) u. a. gebräuchlich. Die alten Formen mit dem Conjunctivcharacter -iē sind noch vielfach in Gebrauch bei Cato, Plautus, Terentius und den übrigen älteren scenischen Dichtern und bei Lucilius; aber schon bei diesen sind auch die zusammengezogenen Formen üblich und die Dichter wählen zwischen Beiden nach Bedürfniss des Versmasses. (Neue Formenlehre der lat. Sprache II, 463. f. Vahlen Ennian. p. rel. p. 229. Ribbeck Trag. Lat. p. 24. Com. Lat. p. 396. f. Schulz de obsolet. coniug. Plaut. form. p. 13.) Also in der lebendigen Volkssprache waren schon seit Ennius und Plautus Zeitalter die

[1]) Ribbeck l. c. p. 264.

Formen s-i-t, s-i-nt u. a. für s-ie-t s-ie-nt gebräuchlich, während die Sprache der römischen Gesetzurkunden die alten Formen noch festhielt. Nachdem diese auch hier abgekommen sind, kann man die Formen s-ie-m, s-ie-s, s-ie-t, s-ie-nt bei Lucretius (Bouterw. Lucretian. Quaest. p. 35.) nur noch als alterthümlichen Zierrath ansehen, der, wo es dem Dichter bequem war, aus jenen älteren Dichtern übernommen oder beibehalten wurde.“ His Corsseni verbis fere nihil habeo quod addam. Sed dubitari nequit, quin ille poeta, cuius versus Cicero attulit, tantum metri causa in altero versu forma plena „sient“ usus sit. Mirari autem non possumus, quod Cicero certum iudicium de illis formis non fecit, sed utramque formam adhiberi posse dicit. Quamquam enim ipse et in orationibus et in reliquis libris tantum forma imminuta „sit“ usus est, tamen veterem formam „siet“ contra illos novos poetas, qui eam damnaverunt, defendere videtur.

Sequitur brevis observatio de pronomine „idem“ Orat. 47, 157, quae longiorem disputationem requirit, propterea quod et codices certam lectionem non praebent, sed valde inter se discrepant, neque viri docti de verbis emendandis consentiunt. Ac primum videamus, quomodo ea verba in codicibus scripta sint, deinde de coniecturis virorum doctorum dicamus. In codice igitur Vitebergensi legimus haec: „idem campus habet inquit Ennius et in templis isdem probavit . at iisdem erat verius . nec tamen isdem ut optimus male sonabat . iisdem impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret.“ Codex Einsiedlensis: „idem campus habet inquit Ennius et in templis idem probavit . at iisdem erat verius nec tamen ysdem ut optimus male sonabat iisdem . impetratum est etc.“ Codex Erlangensis: „isdem campus habet inquit Ennius et in templis idem probavit . at eisdem erat verius, nec tamen eisdem opimius ⌐male sonabat iisdem . impetratum est etc.“ Codex Dresdensis: „idem campus habet inquit Ennius et in templis isdem probavit . at eisdem erat verius nec tamen iisdem ut optimius male sonabat . iis impetratum est etc.“ Codex Monacensis: „idem campus habet inquit Ennius et in templis idem probavit at

isdem erat verius nec tamen isdem ut optimus male sonabat. isdem impetratum est etc."

Ernestius hunc locum ex codicibus sic restituit: „idem campus habet inquit Ennius et in templis isdem probavit. At eisdem erat verius, nec tamen eisdem, opimius: male sonabat, iisdem, impetratum est etc." Schuetzius in altera editione Oratoris hanc lectionem exhibuit: „Idem campus habet, inquit Ennius: et, In templis isdem, probavit. At isdem erat verius; sed tamen opimius. Male sonabat iisdem. Impetratum est etc." Hac addita interpretatione: „Cicero hoc significat, pro „idem" in genere masculino verius fuisse „isdem", sed tamen opimius ob duas consonantes sd. In templis isdem, Ennium dixisse, quia male sonabat iisdem." Orellius scripsit haec: „„idem campus habet" inquit Ennius, et „in templis isdem" probavit. At eisdem erat verius, nec tamen eisdem, ut opimius: male sonabat iisdem; impetratum est etc."

Optime autem de constituenda verborum scriptura meruit Franciscus Goellerus, qui primus vidit Ciceronem tres eiusdem pronominis formas, quae ad dativum vel ablativum pluralis significandum adhiberi possint, discernere et has quidem: „isdem, eisdem, iisdem". Totum autem locum Goellerus sic scribendum arbitratus est: „„isdem campus habet" inquit Ennius et „In templis isdem." At eisdem erat verius. nec tamen probavit, ut opimius: male sonabat iisdem. Impetratum est etc." A Goelleri sententia discrepat Fridericus Ritschelius.[1]) Is enim tantum duas formas „isdem et eisdem" a Cicerone commemoratas putat, quamquam cum Goellero consentit Ennium forma „isdem" et pro nominativo singularis et pro dativo vel ablativo pluralis usum esse. Putat autem haec fuisse Ciceronis verba: „„isdem campus habet" inquit Ennius et „in templis isdem". eisdem erat verius: nec tamen probavit ut opimius. male sonabat isdem: impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret". Summa igitur emendationis haec est, formam „iisdem" hoc loco a Cicerone omissam esse. Ad quam rationem probandam Ritsche-

[1]) Fr. Ritschl. Ind. lect. Bonn. 1855—56. p. IX.

lius scripsit haec: „male sonabat profecto „iisdem", sed tam male, ut ne reprobandi quidem caussa ulla esset. Certum est enim labanti demum latinitati „ii iis iisdem" formas deberi, Ciceronis autem saeculo tam ignotas fuisse, ut ne in mentem quidem illi venire posset, dedita opera vitatas a quoquam dicere." Sed quoniam prior illa causa, quam Ritschelius attulit, „iisdem" a Cicerone omissum esse propterea quod ea forma permale sonuisset, fortasse nonnullis viris non satis probabilis esse videri potest, puto quaerendum esse, utrum Ciceronis aetate formae „ii iis iisdem" omnino ignotae fuerint necne. Itaque necesse est nos inscriptiones, quae Ciceronis temporibus factae sint, inspicere. Ciceronem enim ipsum numquam illis formis usum esse optimorum codicum auctoritate comprobatur. In monumentis autem priscae Latinitatis legimus tres formas „eeis, ieis, eieis" ad dativum vel ablativum pluralis significandum. Forma „eeis" invenitur in epistula ad Teuranos de bacchanalibus, quae ab u. c. 568 scripta est, hoc est octogesimo anno ante Ciceronem natum (M. C. I. L. I, 196, 5, 25.). Formam „ieis" legimus in inscriptionibus, quae Ciceronis aetate (648 a. u. c. — 711) factae sunt, ter et vicies. Lex Antonia de Termessibus (M. C. I. L. I, 204.) exhibet duodecies formam „ieis" (vers. I. 5, 8, 15, 17, 18, 20, 24, 34. II, 16, 24, 33, 34.), tum lex Iulia municipalis anni a. u. c. 709. septies praebet formam „ieis" (M. C. I. L. I, 200, 56, 59, 70, bis 75, 76, 155.), atque in lege Rubria de civitate Galliae Cisalpinae anni a. u. c. 705 quater illa forma reperitur (M. C. I. L. I, 205, I, 42, 49; II. 42, 43.). Praeterea legitur „ieis" in titulo consulari saeculi octavi (M. C. I. L. I, 624, 10), atque in elogio, quod Mommsenus C. I. L. elog. XXXII edidit. Forma autem „eieis" bis invenitur in epistula praetoris ad Tiburtes, quae exeunte saeculo sexto scripta est[1]) (M. C. I. L. I, 201, 11, 12.). Quia igitur omnibus illis in exemplis, quorum mentionem feci, numquam exstat forma „iis", puto eis exemplis nobis demonstrari, formam „iis" Ciceronis aetate omnino ignotam fuisse. Qua de causa Ritschelio adsentior, qui

[1]) Ephem. epigr. 1872. pg. 289.

Ciceronem hoc loco formam „iisdem“ omisisse putat. Itaque totum locum a Goellero et Ritschelio recte emendatum sic esse scribendum arbitror:

„Isdem campus habet“,

inquit Ennius et

„In templis isdem“,

at „eisdem“ erat verius nec tamen probavit, ut opimius; male sonabat „isdem“; impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret.“

Cicero igitur dicit Ennium forma „isdem“ non solum pro nominativo singularis masculini generis, sed etiam pro dativo vel ablativo pluralis usum esse, veriorem enim formam „eisdem“ opimiorem visam esse Ennio, qua de causa eum contra regulae vel veriloquii severitatem posuisse formam „isdem“ etiam in dativo vel ablativo pluralis.

Verba autem Ennii: „isdem campus habet“ petita sunt ex versu Annalium, quem Servius in Verg. Aen. XI, 326 integrum servavit. Scaliger primus eum versum in Annott. ad Catullum e schedis Servii tum ineditis sic explevit: „Idem campus habet textrinum navibu' longis.“ Nunc legitur in Vahleni editione in annalium reliquiis et versu quidem 468 sic:

„Isdem campus habet textrinum navibus longis.“

Ex quo libro Ennii alterum exemplum: „in templis isdem“ petitum sit, nescimus; Vahlen. posuit ea verba in reliquiis incertorum librorum p. 174.

Ciceronis autem aetate forma nominativi singularis masculini generis par erat formae nominativi pluralis atque littera s omissa dicebatur „idem campus“. Verum tamen C. Iulius Caesar teste Charisio in libro secundo de analogia commendavit formam „idem“ pro nominativo singularis et „isdem“ pro nominativo pluralis. Legimus enim haec apud Charisium p. 110 ed. Keil: „„Is homo“ „idem“ compositum facit [1]) nisi quia Caesar libro II singulariter „idem“, pluraliter „isdem“ dicendum confirmat. sed consuetudo hoc non servat.“ De

---

[1]) Keilius hoc loco lacunam indicat. Quibus autem verbis eam suppleri posse putet vid. huius disputationis pg. 27.

hoc loco ita emendando cogitavit Nipperdeius Caes. fragm. p. 757, „nisi quia Caesar libro secundo idem pluraliter et isdem dicendum confirmat.“ Ritschelius demonstravit de epigrammate Sorano (Bonnae 1852) p. 20 et ind. lect. Bonn. hib. a. 1855 intercidisse potius aliquid, quo usus loquendi a Caesaris praecepto diversus indicatus esset. Ritschelio autem Keilius adsentitur, nam lacunam inter verba „compositum facit“ et „nisi quia“ indicat, quam ita suppleri probabiliter posse putat: „is homo idem conpositum facit tam singulariter quam pluraliter, nisi quia Caesar sqq.“ nam de distinctione vocabulorum diversa significantium dici certum esse. Denique Schlittius in dissertatione de G. Iulio Caesare grammatico p. 32 sqq. multis verbis de hoc loco disputavit. Postquam enim et Nipperdei sententiam et Ritschelii se refutavisse arbitratus est, suam sententiam his verbis protulit: „ac mihi quidem persuasissimum est *singulariter isdem, pluraliter idem* Caesarem praescripsisse dicendum, quod quum optime conveniat cum tota ratione analogiae, quam semper sequutum esse Caesarem multis exemplis demonstravimus, hoc quidem modo videtur statuisse: ut is, ita isdem.“ Schlittio his in verbis emendandis non adsentior, quamvis ea, quae ille coniecit, ad defendendam scripturam nostri Ciceroniani loci: „isdem campus habet“ magni momenti esse nemo negare possit. Ac potius ea probo, quae Ritschelius et Keilius statuerunt, Caesarem commendavisse „idem“ pro nominativo singularis et „isdem“ pro nominativo pluralis. Nam multis aliis locis illud „isdem“ pro nominativo singularis invenitur, qua de causa dubitari non possumus, quin Cicero his in verbis Ennianis adferendis scripserit „isdem campus habet“.

Legimus enim illud „isdem“ apud Plautum Amphitr. III, 2, 64:

„Verum eádem si isdem púrigas patiúnda sunt,“

quo in versu „isdem“ servavit codex Ursinianus. Denique non pauca monumenta priscae Latinitatis demonstrant formam „isdem“ ad nominativum singularis masculini generis significandum usurpatam esse. Quorum monumentorum nonnulla adscribam. Primo loco nominandus est titulus Delmaticus ex saeculo

septimo ab u. c., quem Momms. C. I. L. I, 1468 sic edidit:

Q· VIBIVS· L· F·
DIANAE· V· S·
EISDEN. ARAM.
D· S· F· C·

Altera inscriptio ex saeculo septimo a. u. c. in pavimento operis tessellati reperta est Terracinae (M. C. I. L. I, 576) et haec praebet:

ser. sulpic IVS· SER· F· GALBA· COS· PAVIMENTVM
faciendum. locavi T· EISDEMQVE· PROBAVIT·

Denique in lege Puteolana parieti faciendo (M. C. I. L. I, 577.) ter invenitur „eisdem“ et versu quidem 9, 11, 13 mediae partis monumenti.

Ex his autem exemplis simul illud cognoscitur in composito pronomine „isdem“ non compensandae litterae s causa vocalem i productam esse, sed nominativum singularis „is“ a principio eadem mensura fuisse, quam semper prima syllaba servavit genetivi „ēius“ et dativi „ēi“. [1]) Quod quidem de pronomine simplice „is“ demonstratur lege repetundarum (M. C. I. L. I, 198.), cuius legis versu nono nominativus singularis „is“ scriptus est „eis“: SEI· EIS VOLET· SIBEI· PATRONOS· IN· EAM· REM· DAREI· Dubitari igitur nequit, quin Cicero hoc loco formam „isdem“ pro nominativo singularis masculini generis ab Ennio usurpatam commemoraverit. Tum dixit Cicero formam „eisdem“ ab Ennio non adhibitam esse, quia illi opimior visa esset. „Opimus“ idem fere significare videtur, quod Orat. 45, 153 „vastus“, his in verbis: „quomodo enim vester Axilla Ala factus est nisi fuga litterae vastioris?“ Sed „opimus“ de vocalibus, de consonantibus alterum usurpatum esse videtur. Apud Quintilianum IX, 4, 36 legimus haec: „longae per se et velut opimae syllabae.“ Iudicio autem Ennii „eisdem“ esse formam opimam Cicero non videtur adsensus esse, nam et in orationibus et in reliquis libris tantum forma „eisdem“ usus est. Nam ea sola constanter in optimis codicibus invenitur.

---

[1]) In epistula praetoris ad Tiburtes saeculi exeuntis sexti (M. C. I. L. I, 201) bis invenitur „eieis“ vers. 11 et 12, atque in lege rep. (M. C. I. L. I, 198) septies legitur „eiei“ v. 10. 12. 37. 60. 68. 77. 80.

Totum autem locum Cicero protulit, ut exemplo probaret, quid in formandis vocabulis consuetudini aurium iudicio obsecundanti morigerandum esset praeter regulae vel veriloquii severitatem. Quare haec eo pertinent, ut demonstretur anomaliam in vocabulis flectendis magni momenti esse.

Cum pronomine „idem“ Cicero componit duo vel tria vocabula „posmeridianus, quadriga, mehercule“, in quibus eodem modo a consuetudine impetratum esse dicit, ut peccare suavitatis causa liceret. In codicibus autem haec ita scripta sunt: „et pomeridianas quadrigas quam postmeridianas dixerim et mehercule quam mehercules.“ At vero rectius haec scripta sunt apud Velium Longum ed. Putsch p. 2237: „Sequenda est nonnumquam elegantia eruditorum, quod quasdam litteras lenitatis causa omiserunt, sicut Cicero, ut verbis ipsius utamur, „posmeridianas quoque quadrigas“, inquit, „libentius dixerim quam postmeridianas.“ Quibus ex verbis recte Baiterus pro „pomeridianas“ scripsit „posmeridianas“. Deinde intellegi nequit, quid sibi velint „posmeridianae quadrigae“. Neque enim probari possunt, quae ad eam scripturam defendendam attulit Goellerus in editione Orat. p. 340: „Romani dicebant matutini et meridiani, non addito, quod cogitabant, nomine gladiatorum. Dicebant autem sic a tempore, quo gladiatores edebantur. Matutini iidem bestiarii dicebantur, quod erat spectaculorum omnium in illa foeditate Romanorum voluptatum foedissimum. Hinc sequebantur meridiani, dein post meridiem interdum ludi Circenses, quae hic dicuntur „posmeridianae quadrigae“.“ Goelleri sententia probari non potest. Ea de causa rectius Fleckeisenus [1]) pro „posmeridianae“ posuit nominativum singularis „posmeridianus“ eodem modo, quo Cicero Orat. 48, 159 dicit: „indoctus dicimus brevi prima littera, insanus producta, inhumanus brevi, infelix longa.“ Tum optime de hoc loco emendando meruit Ludovicus Doederlinus, qui in programmate Erlangensi a. 1831 ita scripsit: „et posmeridianas quadrigas quam postmeridianas quadriiugas libentius dixerim.“ Hanc emendationem iterum edidit in libro, quem inscripsit: „Reden und

---

[1]) Fleckeisen, kritische Miscellen. Leipzig 1864. p. 48.

Aufsätze". „Nam cur quadrigas, inquit Doederlinus p. 398, addere placuerit Ciceroni, causam video nullam, nisi forte certum cuiuspiam scriptoris, quem aliqua de causa ne significare quidem voluerit, locum perstringi putas. Posmeridianas autem quadrigas verba cuiuspiam scriptoris non esse, sed Ciceronis verba ipsa, facile perspici potest ex verbis: „libentius dixerim"." Atque ea de causa Doederlinus iure „quadriiugas" inter verba „posmeridianas" et „libentius" interposuit. Tum autem puto verba „posmeridianus", quod Fleckeiseno auctore scribendum est, atque „quadrigas" et „postmeridianus" atque „quadriiugas" vocabulo „et" coniungenda esse. Totus igitur locus nunc ita legitur: „Et „posmeridianus" et „quadrigas", quam „postmeridianus" et „quadriiugas" libentius dixerim."

Eodem modo usus sermonis propter aurium iudicium postulat, ut „mehercule" pro „mehercules" dicatur, quamquam Romani in verbis alius iuris iurandi „me dius fidius" dicere solebant. Vulgarem autem iurandi formulam „mehercule" satis notum est ortam esse ex his „ita me Hercules adiuvet", itaque cum ratio postularet, ut „mehercules" diceretur, tamen consuetudine dictum est „mehercule", omissa contra rationem s littera. Cicero autem cum utramque formam probaret, tamen „mehercule" formam suaviorem habet quam „mehercules". Verum tamen et nominativus et vocativus dici possunt et „mehercules" invenitur in codicibus pro Rosc. Amer. 48, 141 et Ep. ad Fam. X, 18, 3.

Deinde Cicero commemorat formam „meridies", quam suavitatis causa pro „medidies" dictam esse vult. Ea enim cum ex „medius dies" contracta esset, quod „medidies" insuavius erat scilicet ob repetitam syllabam „di", d littera in r mutata est. In quo originem vocabuli haud dubie recte Cicero indicavit et priscam formam „medidies" in usu fuisse testatur Varro de l. l. VI, 4: „„meridies" ab eo quod „medius dies"; d antiqui, non r in hoc dicebant, ut Praeneste incisum in solario vidi." Neque vero propter sequentem syllabam d in r mutatum est, sed saepius in aliis quoque vocabulis eadem mutatio invenitur.[1]) Praeterea huius Ciceroniani loci

[1]) Corssen I, p. 239—241.

meminerunt Quintilianus I, 6, 30; Priscianus IV, 34; Velius Longus ed. Putsch p. 2232.

In his omnibus exemplis, quorum Cicero mentionem fecit, id sibi proposuisse videtur, ut aurium iudicium in verbis formandis ab oratore plurimi habendum esse atque suavitatis causa omnes illas leges proportionis neglegi posse demonstraret.

Postquam ea, quae Cicero de singulis verbis consuetudine dicendi contra rationem contractis vel mutatis dixit, consideravimus, sequitur ut videamus, quid de verbis cum praepositione compositis praeceperit § 158 sqq. Nam cum saepe in eis verbis, quae cum praepositionibus composita essent, quaedam mutari animadverteret, quae ei ipsi cum proportionis regulis convenire non videbantur, talia verba propter aurium iudicium commutata esse censuit. Atque hac in re tractanda iterum atque iterum praedicat suavitatem; „voluptati, inquit[1]), aurium morigerari debet oratio."

Mirum autem est Ciceronem in his quaestionibus diiudicandis, quid verum esset, paene semper perspexisse, quamquam qua de causa illa verba, de quibus agit, commutarentur, plerumque nescivit.

Iam illius commutationis exempla, quibus Cicero usus est, consideremus.

Primum igitur dicam de eis, quae Cicero de praepositione „af" Orat. 47, 158 disputavit. Verba autem olim ita scribebantur: „Una praepositio est „abs", eaque nunc tantum in accepti tabulis manet, ne his quidem omnium, in reliquo sermone mutata est. Nam „amovit" dicimus et „abegit" et „abstulit", ut iam nescias „ab" ne verum sit an „abs". Quid, si etiam „abfugit" turpe visum est et „abfer" noluerunt, „aufer" maluerunt? Quae praepositio praeter haec duo verba nullo alio in verbo reperietur."

Haec corrupta esse, omnes viri docti, qui hunc librum emendare studuerunt, intellexerunt. Sed codices, quorum praestantissimi Vitebergensis Einsiedlensis Dresdensis Erlangensis habentur, ita inter se discrepant, ut ad verba emen-

[1]) Orat. 48, 159.

danda non multum afferant. Discrepantiam autem lectionis in Goelleri editione adnotatam inveni hanc:

est abs, eaque est eaque Vit. Eins. Dresd. Guelf. 1. 2. Ven. 1. 2. est ab que Gu. 3. est abque que Erl.
in accepti tabulis in acceptis tabulis Dresd. Ven. 1.
abne verum sit anne verum Vit. Dresd. Erl. Mon. Gu. 1. 2. 3. Ven. 1. 2. an verum sit Eins.
abfugit, afugit Vit. affugit Dresd. Ven. 2. aufugit Ven 1.
abfer afer Dresd. affer Ven. 1. 2. et afer ubi noluerunt Vit.
reperietur sic Vit. Eins. Erl. Ven. 1. Gu. 2. reperitur codices recentiores.

De praepositione „af" hoc loco dici, quamvis ea in codicibus scripta non sit, primus perspexit Freundius, qui de ea praepositione disputavit Wörterbuch der lateinischen Sprache I, p. LVIII, et apud Ciceronem scribi voluit „una praepositio est af." Profectus autem est Freundius ad eam coniecturam a duobus locis Prisciani et Velii Longi. Apud Priscianum I, 46 leguntur haec: „f multis modis muta magis ostenditur cum pro p et aspiratione, quae similiter muta est, accipitur, de quo sufficienter superius diximus, quamquam antiqui Romanorum Aeoles sequentes loco aspirationis eam ponebant, effugientes ipsi quoque aspirationem et maxime cum consonante recusabant eam proferre in Latino sermone. Habebat autem haec f littera hunc sonum, quem nunc habet v loco consonantis posita, unde antiqui „af" pro „ab" scribere solebant: sed quia non potest vau, id est digamma, in fine syllabae inveniri, ideo mutata est in b. „Sifilum" quoque „Sibilum" teste Nonio Marcello de doctorum indagine (p. 531, 2. ed. Mercer.) dicebant." His ex verbis Prisciani Freundius Velii Longi p. 2224 ed. Putsch. ita emendavit: „Nunc ad praepositiones transeamus atque incipiamus ab illa, quam Cicero in Oratore adnotavit. Varia enim consuetudo in aequo est a et ab et abs et au, ut cum dicimus „a me", deinde „ab illo", deinde „abstulit" deinde „aufert" et „aufugit". Adiicit his praepositionibus et illam, quae scribitur per f litteram (Putschius: „per b litteram.") quam ab antiquis usitatam ait maxime in rationibus et in accepti tabulis: nam quotiens acceptam pecuniam referebant, non dicebant „a Longo"

sed „af Longo" (Putschius: „ab Longo".) et dicit religionem hanc scribendi apud paucissimos remansisse saeculo suo."

Dubitandum non est, quin coniectura Freundii, Ciceronem hoc loco praepositionem „af" commemoravisse, vera sit, praesertim cum grammaticorum veterum testimonia his inscriptionum exemplis confirmentur. Legimus enim in epistula ad Tiburtes saeculi exeuntis sexti (Momms. C. I. L .I, 201, 11) „af vobeis", deinde invenimus:

af Capua. (M. C. I. L. I, 551, 8.)
af Lyco. (M. C. I. L. I, 587, 1.)
af Lucretia. (M. C. I. L. I, 1055, 2.)
af muro. (M. C. I. L. I, 1143, 7.)
af solo. (M. C. I. L. I, 1161.)

Sed iam ad Ciceronem redeamus, alia quoque in verbis corrupta esse apparet. Nam primum „una" prorsus ineptum est neque ita defendi potest, ut „re vera esse praepositionem" significet, id quod voluit Handius Tursell I p. 2. Nam quo iure ille „unus" idem quod „verus" significare voluerit, omnino non intellegitur.[1]) Non magis probari potest Klotzii ratio a Kaysero probata, ut „una" coniungatur cum eis, quae praecedunt: „credo quod erat insuavius una." Nam ne haec quidem intellegi possunt, ut „una" ad geminatam „di" syllabam pertineat. Quam facile autem adduci aliquis poterit, ut verbum „una", quod neque cum praecedentibus neque cum sequentibus iunctum aptam sententiam praebet, omnino delendum censeat. Sed probabilis est Iahnii coniectura, qui putavit ex verbo „una" esse restituendum vocabulum „insuavissima". Nam cum ante verbum „una" antecedat „insuavius", librarii facile in errorem induci poterant, ut omissis litteris, quae praecedebant, pro „insuavissima" scriberent „una". Tum etiam

[1]) Diversa ab hoc loco significatio est de orat. I, 29, 132: „qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor." „Unus paterfamilias" idem est atque „unus quisque paterfamilias". Et recte verba ita explicavit Pideritius: „Es ist demnach unus hier in dem Sinne der unbestimmten Allgemeinheit zu nehmen, ganz wie ad Att. XI, 10, 2: „me una haec res torquet, quod non omnibus in rebus labentem vel potius ruentem Pompeium „tamquam unus manipularis" secutus sim." Cic. de rep. I, 22: „ut unum e togatis". Inest contemptus significatio. Eis quae Horkelius Anal. Horat. p. 62 protulit, usus non explicatur. Neque corrupta sunt Ciceronis verba, ex quibus Pideritius quondam „paterfamilias", Bakius nuper „unus" eiecit.

„insuavissima“ optime convenit cum sententia totius loci. Nam cum Cicero de commutatione nonnullorum verborum compositorum propter suavitatem facta agere incipiat, aptissime praepositionem veterem „af“ a Romanis in „a“ vel „ab“ vel „abs“ vel „au“ mutatam esse dicit, quod „af“ aurium iudicio non probatum sit. Itaque Iahnio adsentior, qui hoc loco „insuavissima praepositio“ scribendum esse coniecit. Ad eam coniecturam probandam affert Orat. 49, 163 quo loco littera f insuavissima dicitur. Praeterea apud Quintilianum XII, 10, 29 haec legimus: „Nam illa (littera), quae est sexta nostrarum, paene non humana voce vel omnino non voce potius inter discrimina dentium efflanda est: quae, etiam cum vocalem proxima accipit, quassa quodammodo, utique quotiens aliquam consonantium frangit, ut in hoc ipso „frangit“, multo fit horridior.“

Sed in eis, quae sequuntur, non dubitandum est, quin codicum lectio „eaque nunc tantum“ vera sit, quam lectionem Schuetzius sine causa in „quae nunc tantum“ mutavit.

Inutilis etiam Handii coniectura est, qui ad coniungenda verba interposuit „et“ coniunctionem, „eaque nunc tantum in accepti tabulis manet et ne his quidem“. Nam saepius Cicero verbis „ne—quidem“ ita usus est, ut non addita coniunctione sequentia adiungeret praecedentibus; unum locum commemoravisse sufficiat, Orat. 44, 151: „at non Thucydides, ne ille quidem haud maior scriptor Plato.“

Proxima verba, quae vulgo ita legebantur: „ut iam nescias „ab“ ne verum sit an „abs““, Freundius recte sic restituit: „ut iam nescias „a“ ne verum sit an „ab“ an „abs“.“ Cicero enim loquitur hoc loco de variis formis praepositionis „a“, et antiquissima forma ei videtur illud „af“, quam formam tantum in codicibus accepti et expensi conservatam esse dicit. Praeterea exstant tres formae „a ab abs“, quas omnes Cicero commemorat in verbis, quae antecedunt: „nam „amovit“ dicimus et „abegit“ et „abstulit“.“

Quia igitur Romani illis tribus formis „a ab abs“ utebantur, Cicero non ausus est diiudicare, quae forma genuina esset. Quam sententiam rectissime Freundius expressit, cum scriberet: „ut iam nescias „a“ ne verum sit, an „ab“ an „abs“.“ Nam Cicero, cum ipse nesciret „a“ ne verum esset an „ab“ an „abs“, certe non omisit tertiam formam „a“.

Verba quae sequuntur in codicibus sic scripta sunt: „quid, si etiam „abfugit“ turpe visum est et „abfer“ noluerunt, „aufer“ maluerunt, quae praepositio praeter haec duo verba nullo alio in verbo reperietur.“ Cicero igitur dicit praepositionem „au“ nullo in verbo adhibitam esse nisi in his duobus verbis, in codicibus tamen legimus modo hoc unum vocabulum „aufer“, quod praepositionem „au“ exhibet. Itaque recte Schuetzius scribit: „„aufugit“ et „aufer“ maluerunt.“ Nam duo verba posita esse, non unum „aufer“ ea, quae sequuntur, „praeter haec duo verba“ indicant, neque omitti a Cicerone poterat „aufugit“ postquam formam „abfugit“ posuit.

Itaque iam sic emendata scribantur verba Ciceronis: „Insuavissima praepositio est „af“, eaque nunc tantum in accepti tabulis manet, ne his quidem omnium, in reliquo sermone mutata est; nam „amovit“ dicimus et „abegit“ et „abstulit“, ut iam nescias „a“ ne verum sit an „ab“ an „abs“. Quid, si etiam „abfugit“ turpe visum est et „abfer“ noluerunt, „aufugit“ et „aufer“ maluerunt? quae praepositio praeter haec duo verba nullo alio in verbo reperitur.“

Cicero igitur cognovit has quinque formas, quibus Romani sua aetate uterentur [1]: „af, a, ab, abs, au.“ Ex his antiquissima forma est „*af*“, quae nusquam exstabat nisi in tabulis expensi et accepti. Nam cum diligenter observatis formulis veteribus eae tabulae a Romanis conficerentur, propterea quod saepius in causis privatis et publicis tamquam documenta, quibus debita reorum probarentur, adhibebantur, factum est, ut in eis potissimum priscae verborum formae more maiorum traditae retinerentur. Quod quidem quale sit, etiam nunc animadverti potest in eo sermone, quo apud nos iudices uti solent. Illi enim uti solent verbis et verborum formis eis, quae in cotidiano sermone iam diu inusitatae sunt. „Af“ autem etiam in inscriptionibus, quae Ciceronis aetate factae sint, saepius inveniri iam supra commemoravi. Itaque

[1]) Corssen l. c. I, 152 sqq.

de variis praepositionis formis sic statuisse videtur Cicero, veterem et genuinam formam unam esse „af", quae deinde propter aurium iudicium, quoniam asperius sonaret, mutata esset in has quattuor „au a ab abs". Ex quibus „au" in duobus verbis compositis probatam esse dicit; e reliquis tribus formis quae vera sit se nescire profitetur. Et de „af" quidem forma singulari quid iudicandum esset, supra diximus.

„*Abs*" autem ponunt Romani in verborum compositione ante consonantes „c q t", praeterea coniungitur „abs" cum pronominis forma „te", ut apud Ciceronem saepius legimus „abs te" (de orat. I, 15, 66; 18, 82; 32, 148; 47, 204. II, 10, 40; 50, 203, 204. Verr. III, 20, 52; IV, 9, 20; 12, 29; 13, 37; V, 2, 4; 3, 7. Ep. ad Fam. V, 5, 2.). Eadem forma est in composito „absque", quod apud Plautum et Terentium coniunctionis loco positum saepius invenimus. Cicero autem praepositione „absque" numquam usus est, nam Ep. ad Att. I, 19, 1 scribendum est: „sine (vulgo „absque") argumento ac sententia." [1])

„*A*" tantum ante consonantes, „*ab*" et ante vocales et ante consonantes scriptum esse satis constat. De usu autem utriusque formae haec praecepit C. O. Muellerus in Varronis de l. l. p. 12: „Vereor ne his omnibus locis „abs" ponendum sit, quamquam id eo tempore, Cicerone teste, tantum in accepti tabulis manebat. Nam Varro in usu harum formarum, ubi vocabula disiuncta coeunt, easdem fere leges observasse videtur, quas lingua Latina in componendis vocabulis. Quocirca „ab" praeter vocales etiam liquidas l et r et sibilantem s antecedere solet „ab lacu ab ritu ab sue", ut dicitur „ablego" et „abrumpo" et „absisto". Rarius cum n iungitur, numquam cum m, sed dicitur „a magnitudine, a muro", ut „amoveo". Inter medias d saepe a Varrone committitur cum „ab" „ab decem ab diis", ut in „abdo" et „abdico". Sed ut „abtraho" et „abterreo" non admissum est (puto quia b ante t pronuntiando p fieret, et praepositio „ab" hanc mutationem refugit): ita mihi persuadere non possum, „ab terra" a Varrone scriptum esse, sed „abs terra" sicut „abs te". Forma

[1]) Ritschl. opusc. philol. II, p. 569.

„a" cum lingua senescente magis evalesceret, saepe pro antiquiore „ab" posita est. Sic quo loco Varro (VI, 59) „ab novo" scribit Gellius X, 21 „a novo". VIII, 26 librarii verba: „ab luo luam" in „abluo abluam" mutaverunt. Quapropter forma „ab", ubi unus modo probus codex obtulerit, recipienda erit." Sed haec num a Varrone, sicut Muellerus voluit, observata sint, non quaerimus. Cicero certe eas leges, si quid codicum scripturae in ea re tribuendum est, vel non observavit vel potius omnino nescivit. Nam ut pauca exempla afferam, quae facile augeri poterant, in optimis codicibus leguntur haec: „„a diis" (in Vatin. 6.), „a stirpe" (d. l. agr. contra Rullum 2, 35.), „a libidine" (Verr. I, 27, 68.), „a rebus" (Acc. 1, 5.)." Cicero igitur his in praepositionibus adhibendis casu potius vel sensu quodam, qui certis rationibus circumscribi non potest, quam legibus quibusdam ductus esse videtur.

„*Au*" praepositionem, quae in duobus verbis „aufero" et „aufugio" reperitur, cum Cicero ex praepositione „ab" derivet, secundum analogiam dicendum esse „abfero" et „abfugio" existimat. Quia autem „abfero" et „abfugio" per aurium iudicium non licuit, „ab" in „au" commutatum est. Quintilianus ea in re explicanda cum Cicerone consentit, nam haec de illa praepositione I, 5, 69 praecepit: „frequenter autem praepositiones quoque compositio ista corrumpit: inde „abstulit aufugit amisit", cum praepositio sit „ab" sola."

Sequuntur Ciceronis praecepta de praepositionibus „in, ex, re, sub", in compositione mutatis. [1]) Et praepositionem „in" quidem verbis „notus, navus, narus" adiunctam a Latinis in „ig" mutatam esse Cicero censuit. Cuius mutationis quamquam aliam causam non indicavit, quam quod dulcius videretur, tamen credi non potest, eum antiquiores et pleniores formas illorum verborum „gnotus, gnavus, gnarus", non novisse, uti visum est Pideritio. [2]) Nam non solum in publicis monumentis legebantur, sed etiam in illis fabulis, quae Ciceronis aetate in scaena agebantur, saepe adhibebantur. Sed

[1]) Orat. 47, 158; 48, 159. [2]) Piderit. in Cic. Orat. p. 120.

quoniam ea loquendi consuetudo Ciceronis aetate erat, ut in simplicibus verbis „g“ omitteretur, in compositis adderetur, illud propter suavitatem soni ita fieri dixit.

De „ex“ vel „e“ praepositione has duas tantum formas, quae tum vulgo in usu erant, commemoravit, primariam autem formam „ec“, qua etiam Ciceronem in compositis verbis usum esse compertum habemus, omisit. De illis autem duabus formis ita statuisse videtur, ut „ex“ tamquam plenam et genuinam formam ante vocales servari, si consonans sequeretur, „x“ litteram vastiorem [1]) propter asperitatem soni omitti putaret. Forma „ex“ ante Augustum usitatior erat, quam „e“ et in verbis compositis quoque formam „ex“ saepe ante consonantes mansisse probatur his formis a Festo [2]) servatis: „exbures, exdecimata, exdorsua, exdutae, exfir, exfuti, exgregiae.“ Forma „e“ tantum quater reperitur in inscriptionibus ante Augustum factis et hac quidem in coniunctione:

ee vero (Momms. C. I. L. I, 1011.)
elege (Momms. C. I. L. I, 206.)
e lege (Momms. C. I. L. I, 593, 1251.)

In monumento autem Ancyrano numquam invenitur forma „e“ [3]) saepissime „ex“.

De „re“ et „sub“ praepositionibus haec in codicibus scripta sunt: „„refecit, rettulit, reddidit“: adiuncti verbi primam litteram praepositio commutavit, ut „subegit, summutavit, sustulit“.“ Apparet autem hoc voluisse Ciceronem, formam praepositionum in compositione mutari propter primam litteram verbi adiuncti. Quare recte Schneiderus Elementarl. p. 612. ita verba emendavit: „„refecit rettulit reddidit: adiuncti verbi prima littera praepositionem commutavit.“ Praeterea Pideritius ante „adiuncti“ addidit „ita“, cuius rei causam non video. Nam cum neglegentius Cicero totum hunc locum tractaret, paulo neglegentius haec ita scripsit, ut primum „refecit“ et „subegit“ tamquam exempla praepositionum „re“ et „sub“ non mutatarum poneret, deinde de utraque prae-

[1]) Orat. 45, 153. [2]) Mueller, Festus, ind. verb. [3]) Corssen. l. c. I, 154, 155.

positione duo exempla mutatae formae subiceret. Ex his igitur intellegitur, Ciceronem, cum in hac quoque re vulgarem suae aetatis usum sequeretur, primariam formam praepositionis habuisse „re“, cum satis constet genuinam formam esse „red“. Eam formam praebent verba „rettulit“ et „reddidit“.

De „sub“ praepositione nihil addendum est, nisi Goellerum pro „summutavit“ scripsisse „summovit.“ Et haec quidem coniectura probanda esse mihi videtur. Nam Ciceronem hoc loco illud raro usurpatum verbum „summutare“ exempli gratia commemoravisse veri simile non est. Fortasse autem „summutavit“ ex verbo praecedente „commutavit“ ortum est.

Exempla mutationis in ipsis verbis cum praepositione compositis factae quattuor posuit Cicero: „insipientem, iniquum, tricipitem, concisum“. Et ut consuetudine contra rationem eam mutationem factam esse probaret, addidit aliud, in quo non recepta esset mutatio, „pertaesum“. De hac re legimus apud Festum p. 273: „rederguisse per e litteram Scipio Africanus Pauli f. dicitur enuntiasse, ut idem etiam „pertisum“; cuius meminit Lucilius, cum ait: quo facetior videare et scire plus quam ceteri „pertisum hominem“ non „pertaesum“ dicere.“

Restat de compositione verborum unum, quod non iam ad scribendi, sed ad pronuntiandi rationem pertinet, „con“ et „in“ praepositiones in aliis verbis producte, in aliis correpte pronuntiandas esse. De hac re etiam veteres grammatici, qui post Ciceronem floruerunt, scripserunt. Legimus enim apud Diomedem ed. Keil. p. 434. haec: „con quoque praepositio complexa f vel s subiunctas litteras producta o pronuntiabitur: f, ut confido confero confestim confertus; eodem modo s, ut consulo conscendo consono consisto consul. et versa vice eadem aliis litteris praeposita corripitur, ut contio conduco continuo conloco converto convoco conprehendo congrego.“ Tum apud Servium comm. in Donatum ed. Keil. p. 442 leguntur haec: „illud vehementissime observare debemus, ut con et in, quotienscumque post se habent s vel f litteram, videamus quem ad modum pronuntientur. plerumque enim non observantes in barbarismos incurrimus. nam cum ipsarum natura brevis sit, tamen si sequantur supra dictae

litterae, plerumque in longitudinem transit, ut cum dicimus confit confessio, item consilium consuluit." Certas autem rationes de harum praepositionum producta vel correpta pronuntiatione afferre non possumus, quia consuetudine sermonis et iudicio aurium illa pronuntiatio constituebatur.

Sed haec hactenus. Tantum ille locus de aspiratione et de usu litterarum ex Graeca lingua desumptarum relinquitur. Propterea autem eum locum non tractavi, quod ea, quae Cicero protulit, magnam difficultatem habere mihi non visa sunt. Verumtamen locus de aspiratione et de usu litterarum Graecarum in sermonem Latinum receptarum paucis verbis absolvi non potest. Nam his in rebus apud Romanos per longum tempus nulla constantia fuit, neque Cicero certas rationes protulit, sed saepius eis in controversiis diiudicandis aurium iudicium praedicavit.

Vita.

Natus sum Hermannus Eckstein Halis d. XIII m. Decbr. anni huius saeculi XLIX patre Friderico Augusto matre Paulina e gente Spiess, quae mihi praematura morte erepta est. Fidei addictus sum evangelicae. Halis primis litterarum elementis imbutus discipulis scholae Latinae puer X annorum patre rectore adscriptus sum. Quattuor annis interiectis cum parentibus Lipsiam profectus sum, ubi scholae Thomanae per quinque annos interfui. Testimonio quod dicitur maturitatis instructus m. Octobr. a. MDCCCLXVIII inter cives universitatis Lipsiensis receptus sum. Hac in urbe per duos annos commoratus Halas me contuli, tum Lipsiam reverti. Atque Halis interfui scholis virorum clarissimorum: *Bernhardy*, *Keil*, *Schoene*. Lipsiae autem me instituerunt: *Ahrens*, *Brockhaus*, *Curtius*, *Drobisch*, *Eckstein*, *Jordan*, *Lange*, *Overbeck*, *Paul*, *Ritschl*, *Springer*, *Voigt*, *Zarncke*. Omnibus his viris optime de me meritis gratias ago maximas.